Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8319
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

gratissimum institucionis pastatis devocionis. Hoc est sacramentum preciosissimum cor-
poris et sanguinis domini et salvatoris nostri Ihesu Christi. Ita hoc huius
sacramenti institutum ita factum est per Christum quod panis in corpus eius et
vinum in sanguinem, pro esca et potu spirituali sub speciebus sensibilibus
convertitur. Et id omnium desiderabilium excellentissimum est. Et quid enim
amplius et quid plus aut magis ad devocionem fidelium excitandum umquam
potest animam, quam si divina huius sacri mirabilia piis auribus recen-
seantur. Ad que considerandum animadvertendum est quod cum deus omnia
fecerit mirabiliter, et nichil omnino sit in quo si consideracio figatur
aliud quam admiracio finaliter reperiatur. Porro ita quod sicut deus nec occultus
est. Visitate eum. Ita fecit omnia modo quodam sub occulto, ut nichil
valuti est scire valeamus. Inter ea autem que fecit sunt aliqua de quibus
vulgus singulariter admiratur. Quomodo scilicet superveniente calore semen
tam subito in bombices convertatur. [illegible] Quomodo uxor
Loth in statuam repentine sit versa. Quomodo fontes quidam
ligna in cornua et in lapides vertant. Quomodo stomachus pa-
nem in carnem et vinum in sanguinem transmutat. Quomodo de cinere
vitrum. Quomodo ignis de petra subita percussione egrediatur. Quomodo
mons maximus in oculo animalis capitur. Quomodo in qualibet particula
speculi mundus sicut in toto speculo appareat. Quomodo arbor
tam grandis in sinapis sit grano. Quomodo omnes homines in
Adam. Quomodo adamas trahit ferrum et ipsum pellit a quedie.
Quomodo idem visibile in multis oculis, et idem audibile in multis
auribus, et una candela infinitas accendat sine sui diminucione,
et fons semper aquam ministrat, et ex flore apes mel, aranea
venenum, et sol solvit terram et congelat lutum. Multa sunt horum
miracula in mundo. Et in tempore habes consimilia. Una est in te
anima vivificans corpus, tota in toto et qualibet parte, videns in
oculo, audiens in aure, in stomacho digerens et cibum transmutans.

221